







1762.

1. Schenkwald, Godefridus: De regnis mixtae successionis.
2. Schyrenus, Georgius Henricus: De multis foro delinquentis.
3. Boekmerus, Georgius Ludovicus: De bello nunc gesto ob servatam Germaniae libertatem memorabili.
4. Voering, Henricus, de: De appellatione in causis feudalibus.
5. Ludewig, Joannes Christophorus: De emtore non stante locationis antecessoris.
6. Paetter, Joannes Stephanus: Joannis Henrici Brüss solennis inauguralia indicat praemissa commentationacula: De foro delinquentis officialis cancellariae in supremo camerae Imperialis ju'dicio.

1763.

1. Faber, Vinet: De legatorum et mortis causis donatorum differentia usque ad hodiernum

1763.

2. Gebauer, Georgius Christianus, Ord. juris. Decanus: Davillis Fabri . . . lictionem et disputationem inauguratorales publice habendas invitat. simul: 2.
De judiciis non capitalibus veterum Germanorum nonnulla commentatur.
3. Gebauer, Georgius Christianus: honores in jure summos Samueli Jacobo Mettingh. . . collatum izi indicat 3.
eaque occasione: De homicidio delicto ap. vet. Germanorum capitali ejusque multa Wuegolds commentatur.
4. Puetterus, Joannes Stephanus: De legum imperii fundamentali um et civilium differentia
5. Richter, Jany Gottlob: Valde hinc hominis nudus et coesperto
6. Vogel, Radolph Augustinus: Oratio. Decanus: Fabia sua de non circumci-
sionis modica: Propositio
20. April. 1764. Praesentibus
1. Anckelman, Georgius: De successione et intestato
liberorum naturalium et spuriorum in bona

7.
9.

matris ejusque collateralium juri statutorio
Hamburgensi non adversante

2. Agrius, Georgius Hanseus, Ord. jur. Decanus : ad
Christophori Schmidt dicti Pörsel de K... solennia
inauguralia invitatio. praemissa est de consuetu-
dine legem vincente brevis commentatio.

3. Boehmerus, Georgius Ludovicus : De obligatione
locatrix ob usum rei locatae maxime per
bellum impeditum

4. Galtzer, Christianus Hartmannus Samuel : De multis
nummaris post pecuniae mutatio nem ad mentem
legum peregrinarum perites atque domesticarum
restituendi.

5. Schäfer, Georgius Christianus, Ord. jur. Decanus :
summos in utroque jure honores capessendi



17
2. licentiam . . . Georgio Anselmanno et Vincentio

Rumpffio et collatorum esse et collatum iri . . .
insicet simul: De flagitiis ap. vet. German. nomine
et quae de judiciis vicariis et paganis dicuntur
restabant, in medium profert:

3. 6. Meister, Albert Ludov. Frider: Errorum qui a site
instrumenti non librato angularum mensurarum
ingrediantur censum habet et rebus mathematicis
. . . operam naturis . . . monstratorem . . . offer

4. 7. Rumpff, Vincentius: De rei vindicatione e jure
Romano atque Hamburgensi.

5.
6.
17
1. 8. Schmidt, Christoph, doctus Pilsedek: De variis legum
positivarum speciebus, earum interpretatione et
in facta occurrentia explicatione



4,176 300
1764, 5
18
206

PRODECANVS
ORDINIS IVRIDICI
GEORGIVS CHRISTIANVS
GEBÄVER D.

SVMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
CAPESSENDI LICENTIAM

NOBILISSIMO CANDIDATORVM PARI
GEORGIO ANCKELMANNO

ET

VINCENTIO RVMPFFIO

HAMBVRGENSIBVS

ET COLLATAM ESSE ET COLLATVM IRI
PVBLICE INDICAT

SIMVL

DE FLAGITIS AP. VET. GERMAN. NONNVLLA
ET QVAE DE IVDICIIS VICANIS ET PAGANIS
DICENDA RESTABANT
IN MEDIVM PROFERT.

GOTTINGAE
TYPIS POCKWITZ - BARMEIERIANIS
MDCCLXIV.

PROLOGUS
ORDINIS IUSTITIAE
GEORGIVS CHRISTIANVS
GEBAYER D.
SACRORVM THEOLOGICORVM
CANTONIS VINDOBONENSIS
NOBILISSIMO CANTONISFORUM
GEORGIO NICOLAE MANNHO

VINDOBONENSIS
BY CANTONIS FORUM ET CANTONIS
VINDOBONENSIS
IN MANNHO ET CANTONIS MANNHO

GEORGIO
VINDOBONENSIS






Honores jure superioris mei decanatus pro more nostri Collegii, isto munere dudum deposito, ex parte jam collati, sed et adhuc conferendi, novam ad TACITI *Germaniam* commentandi occasionem mihi suppeditant, quam eo avidius amplector, quo cymbam, qua per bene longum tempus vectus sum, propius a portu abesse sentio.

Ad *Flagitia* mihi redeundum est, cum huic tractatui, licet maximam partem jam occupato, nonnihil deesse deprehendam. De vario vocis significato jam tradidi, quae dicenda erant (a). Erat Flagitium, *imbellia et ignavia*, morte luendum, alibi expositum (b). Erat Flagitium, *reliquisse scutum*, sua natura non capitale, viris tamen fortibus tam grave, ut multi infamiam laqueo finirent, de quo suo in loco diligenter est actum (c). Utrumque erat

(a) In *Programmate de Re judiciaria militari veterum Germanorum* pag. XIX.

(b) In *Dissertatione de duobus Juris Germanici Vestigiis* pag. 43.

(c) In *Programmate de Re judiciaria*



erat suo modo *Militare*. His addas *Flagitia Pagana*, quae generatim dixeris esse facta probrosa domi commissa, de quibus si constabat, una reos, sed gravissima moribus manebat poena, famae et existimationis bonae in omnem vitam perdurans jactura. Exempla talium flagitiorum bina nobis servavit TACITVS (a): *Numerum liberorum finire, aut quenquam ex agnatis necare, flagitium habetur*, quibus merito jungimus aliud, ad femininum sexum pertinens: *publicatae pudicitiae flagitium*. De illis etiam dicere occupavi, ferente id occasione (b), ita ut ne nunc quidem, quod adjiciam, suppetat, nisi legibus nostris, adversus LIPSIVM primam literam in *agnatis* delere conantem, et *gnatis* scribendum esse contendentem, ibidem allatis addere malis alium TACITI nostri locum (c), in quo iisdem verbis eodemque significato de Judaeis scribit: *Augendae tamen multitudini consulitur. Nam et necare quenquam ex agnatis nefas, animasque praelio aut suppliciis peremptorum aeternas putant. Hinc generandi amor et moriendi contemptus*, quamvis ibi quoque LIPSIVS suum: *gnatis* malit. Existimat ad eundem locum Vir doctissimus, qui TACITO illustrando novissimus praeclaram operam navavit, "*agnatos* esse suae gentis homines, quos omnes pro fratribus habuerint, et pro suis. Et hinc securitatem et cupidinem generandi venisse, quod sciverint sacrosanctam esse vitam in populo suo, et si tamen vi aliqua perirent, aliam vitam restare." Ve.

claria militari veterum Germanorum
pag. XI. sequ.

(a) *Germaniae cap. XIX. f.*

(b) *In Programmate de Patria*
Potestate veterum Germanor. p. 4. sq.

(c) *Historiar. Libro V. cap. 5.*



Verum enimvero, ut taceam, valde insolens esse, omnes unius ejusdemque gentis homines appellari *agnatos*, secundum hanc sententiam non *augendae*, quod TACITVS dixit, sed *servandae* multitudini fuisset consultum; sed et generandi amor cum securitate adulatorum nihil videtur habere commune, quod et LIPSIVS in mente habuit, quando ad hunc locum scripsit: *Si enim de caede capis tantum, quid in eo novi? sane et Romanis et Barbaris plerisque necare consanguineos* (addiderim: quemcunque ex populo) *nefas*. Quare, cum de significato vocis: *agnati*, quo partum nuper editum denotat, satis nobis constet, omnino tenendum est, hunc esse loci, quem tractamus, sensum: „Augendae multitudinis cupiditatem peperisse generandi amorem; ex utroque autem fluxisse, ut ne-„ fas haberetur, auctam jam nova sobole multitudinem,„ caede aut abjectione recens natorum, quod Romae lice-„ bat, rursus minui.”

Sed redeamus ad *Flagitia pagana*, quorum tertium dixi, *publicatam pudicitiam*. De hoc NOSTER in eodem decimo nono *Germaniae* suae capite: *Publicatae enim pudicitiae nulla venia. non forma, non aetate, non opibus maritum invenerit*, quae verba de Virginitibus potissimum accipienda esse, cum Viris doctissimis (a) arbitror. Inter feminas illae maxime dicuntur invenire maritum, quae nondum in ullius viri manum et potestatem

(a) Particula *enim* suadere videtur, ut haec quoque verba ad adulteras referas. Quare LIPSIVS scribere mavult: *Publicatae etiam*.

Eruditissimus ERNESTI enim pro transeundi particula accipit, cuius libris non addicentibus, lubens assentior.



tem sunt traditae, quod de uxoribus, maxime adulteris, aequè commode dici nequit. Publicabatur pudicitiae laesae dedecus, quando de innupta, uterum tamen gerente, mox partum illegitimum edente, suis inde uberibus incontinentiae testem alente, omnibus vulgo constabat, vitiata, ut fas erat, septa pudicitia non egisse. Forma, praecipua virginum Germanicarum dos, lasciviae, amissa etiam pudicitia, salva erat. Aetas primaeque iuventutis honor virgines commendans adhuc commendare videbatur stupratam. Opes non deerant patri, ut filia, ante mater quam uxor, maritum tamen inveniret, larga manu erogandae. Sed in his omnibus isti flagitio, tanto malo nullum erat remedium. Tam arcte virginitatis illibatae custodia cum iustarum nuptiarum spe erat conjuncta. Nec abluunt sequentia: *Nemo illic vitia ridet, nec corrumpere et corrumpi seculum vocatur.* Vitium est stuprum vitiatae illatum: adulterium crimen erat gravissimum, turpi crinium recisione, pudenda corporis denudatione, publica per omnem vicum verberatione luendum. Si quis ejusmodi feminae secundas nuptias ambienti se praebere, simul in omnem tantae infamiae societatem venire fuisset ausus, illud non pro flagitio, sed pro monstro habuissent Majores nostri.

Sed quid dicemus de feminis viduis? Etiam de his praesenti in loco cogitasse Tacitum, mihi persuadent verba proxima: *Melius quidem adhuc eae civitates, in quibus tantum virgines nubunt, et cum spe votoque uxoris semel transigitur.* Fuerunt nempe civitates, in quibus eo minus vitia ridebantur, impudicarumve corruptelae seculum vocabantur, quo melius rectiusque etiam virgines
no-



norant, postquam formae morumque elegantia, maxime autem intemeratae pudicitiae laude, maritum invenissent, eo amisso omnem novarum nuptiarum spem esse interclusam. Monebantur tam severo more puellae, donec erant virgines, ne virgines esse desinerent, nec ante nuptias legitimas summo cum dedecore perderent id, quo, post matrimonium, conjugis sui morte solutum, viduae fati infelicitate factae, etiam castae et pudicae, eam unam ob causam erant cariturae, quod non amplius, etsi absque omni vitio, inter virgines censei possent. Sed et fuerunt civitates aliae, in quibus non tantum virgines, sed et viduae nubebant. His autem, quas, praeter formam nondum deperditam, et aetatem adhuc florentem, etiam primae juventae nulla macula contaminatae memoria, priorisque matrimonii severe transacti laus plurimum commendabant, in pari cum virginibus spe, eandem servandae castitatis, famaeque bonae retinendae incubuisse necessitatem, nec ullam pudicitiae etiam in viduitate publicatae datam esse veniam, nemo forte dubitabit. Tam sancte olim vivebatur in Germania nostra, ut nullam morum partem, ipso TACITO fatente, magis laudaveris.

Restant *Judicia inferiora, pagana et vicana*. De Judicibus eorumque Assessores non repetenda sunt ea, quae ad locum NOSTRI *de centenis comitibus* attuli (a). Ad hos iudices etiam querelas, ex minimi momenti delictis obortas, fuisse delatas existimo, cujus tamen opinionis aliam auctoritatem non habeo, quam universalem prope, talia ad inferiorem jurisdictionem, quam etiam bassam et heredi-

(a) In *Programmate de Judiciis veterum Germanorum pag. 9. sequ.*



reditariam appellant, referentem Germaniae consuetudinem, originis omnino incertae, ideoque antiquissimae; sed et difficulter adducor, ut credam, gallinam furto ablatam, columbam domesticam interceptam, ligna in alterius fundo furtim caesa, subterranei specus violationem, pauperiem a quadrupede sciente domino factam, injuriam servo illatam, horum, si diversis dominis parebant, inter se jurgia, et similia maleficia levissima fuisse res comitiali cognitione dignas.


In iisdem judiciis *causae civiles* potissimum tractabantur, quas fuisse tam frequentes, ut omnem judicium diligentiam et patientiam fatigarint, fuisse tam diuturnas et prope aeternas, ut hodie sub earum mole gemit communis patria, ego quidem non crediderim. *Lites* potius fuisse *paucissimas*, et *adhuc pauciora judicia*, persuasissimum habeo. *Agri*, inquit TACITVS (a) *pro numero cultorum ab universis per vices occupantur, quos mox inter se secundum dignationem partiuntur. facilitatem partiendi camporum spatia praestant. Arva per annos mutant, et superest. Adstipulatur CAESAR b): Neque quisquam agri modum certum, aut fines habet proprios: sed magistratus et principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum, qui una coierint, quantum, et quo loco visum est, agri attribuunt, atque anno post alio transire cogunt.* Ex quibus sua sponte sequitur, nullas ejusmodi fundorum fuisse vindicationes, nullum finium regundorum judicium, nullam de termino moto, de via rejecta receptave controversiam, bona nulla censita,

(a) *Germaniae cap. XXVI.*

(b) *de Bello Gallico VI. 22.*

tica, nulla emphyteutica, nulla feudalia, quae sequentibus temporibus adinventam peculiarem Iurisprudentiae speciem pepererunt. Ususfructum a dominio separatum Majores nostri forte prorsus, certe miram illam Usus Romani figuram, Habitationis servitutem, Operas servorum a Quiritibus exsculptas ignorarunt. De Servitutibus praediorum rusticis altum fuit silentium, et de Servitutibus praediorum urbanorum, contiguitatem aedium fere requirentibus, idem dixeris. *Nullas, inquit TACITVS (a), Germanorum populis urbes habitari, satis notum est, ne pati quidem inter se junctas sedes. Colunt discreti et diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant, non in nostrum morem et cohaerentibus aedificiis. Suam quisque domum spatio circumdat.* Hereditas una, nempe legitima. Ordo successionum sat manifestus, liberorum puta, fratrum, patruorum, avunculorum. Res hereditariae: penates, servi, equi, armenta, pecudes, arma, vestes, reliqua supellex sat frugalis, quibus ex aequo et bono dividendis, jure praecipuorum non neglecto, facile par erat vir bonus, familiae heriscundae arbiter. *Testamentum autem, feracissimus ille tot litium fundus, aequo Germanos nullum (b).* Nesciverunt itaque optimi Majores Inofficiosi querelam, ultimarum voluntatum codices, molis aliquando non minoris codicillos, legatorum varietates, formulas, actiones, fideicommissorum, cum universalium tum specialium, ad seros nepotes, ne etiam his desit contentionum copia, extensam curam,

(a) *Germaniae cap. XVI.*(b) TACITVS *German. cap. XX.*



ram, Legitimae, Falcidiae, Trebellianicae computationes, mortis denique causa donationes capionesque.

Inter Synallagmata hodierna principatum tenet mutua pecunia, foecunda controversiarum mater: inde infinitae de mutato monetae valore, de usuris eorumque modo, de usuraria pravitate, de anatocismo, de antichresi, de pignoribus aliisque creditarum pecuniarum securitatibus, quaestiones, subtiles saepe et difficiles, ut cambiorum jura taceam, multis ordinationibus vallata, in peculiaribus judiciis pertractanda. At *argentum et aurum propitii an irati dii*, ut cum TACITO loquar (a), adhuc *negaverant*; quare et *fenus agitare, et in usuras extendere ignotum: ideoque magis servabatur, quam si vetitum esset* (b). Emptiones venditiones etiam, deficiente rerum pretio nullae. Etiam Locationes condictiones cum agrorum tum aedium nullae. Istos non fuisse privati juris dominiive supra vidimus. Quod ad has attinet, uti de ipsis servis probe observavit TACITVS (c), ita de liberis hominibus ingenuisque patribus familias eo certius verum erat: *suam quemque sedem, suos penates rexisse*.

Mercaturam non ignorarunt Majores nostri, de qua eximius est TACITI locus (d): *Proximi ob usum merciorum aurum et argentum in pretio habent, formasque quasdam nostrae pecuniae agnoscunt. Pecuniam probant veterem et diu notam, serratos bigatosque.*
Ar.

(a) Germaniae cap. V.

(b) Germaniae cap. XXVI.

(c) Germaniae cap. XXV.

(d) Germaniae cap. V.

Argentum quoque magis quam aurum sequuntur, nulla affectione animi, sed quia numerus argenteorum facilius usui est promiscua et vilia mercantibus, quae postrema verba et id, quod NOSTER alio in loco (a) memorat, praeter Hermunduros fidam Romanis civitatem, reliquis Germanorum non nisi in ripa commercium fuisse, facile indicant, quaestuofas mercatorum societates, quales inter Romanos erant quamplurimae, luxuriae instrumenta iis, quorum opes stultitiam patiebantur, per mare, per terras convehentium, apud Germanos fuisse nullas. Merces Majorum dubio procul erant equi, armenta, pecudes, Solae Germanorum opes (b) et forte servi alea quaesiti, quos per commercia tradidisse, ut se pudore victoriae absolvant, TACITVS nobis auctor est (c). Mercibus Germanicis etiam annumeraveris flaventes comas aureo nitore commendabiles: ita enim OVIDIVS ad feminam, quae suos capillos medicando perdiderat (d):

Nunc tibi captivos mittet Germania crines,

Culta triumphatae munere gentis eris.

O quam saepe, comas aliquo mirante, rubebis,

Et dices: emta nunc ego merce probora

et alio in loco (e):

Femina procedit densissima crinibus emtis,

Proque suis alios efficit aere suos.

ut

(a) Germaniae cap. XLI.

(b) TACITVS Germaniae cap. V.

(c) Germaniae cap. XXIV.

(d) Amorum Libr. I. Eleg. XIV.

v. 14 seq.

(e) Artis amator. Lib. III. v. 165.



ut et Herbas Germanicas, ut loquitur idem NASO (a):

Femina canitiem Germanis inficit herbis,

Et melior vero quaeritur arte color.

vel potius, ut BVRMANNVS censet, Saponem Germanicum, *Spumam Batavam, Mattiacas pilas*, etiam MARTIALI in loco non uno memoratas (b), quamvis istam BVRMANNI sententiam hoc premat, quod tenendum est-OVIDIVM, illum curiosum omnis feminini cultus scrutatorem, confectioem Saponis prorsus ignorasse, herbas, que appellasse smegma nihil herbacei ostendens, vel continens. De hoc PLINIVS (c) nos edocet: *Prodest et Sapo, Galliarum inventum rutilandis capillis. Fit e sebo et cinere. optimus fagino et caprino, duobus modis, spissus et liquidus. uterque apud Germanos majore in usu viris quam feminis*; et AVCTOR libri de simp. med. ad Patern. (d): *Sapo conficitur ex sevo bubulo, vel caprino, vel vervecino, et lixivio cum calce. Optimum judicamus Germanicum: est enim mundissimum et veluti pinguisimum: deinde Gallicum, quem locum HARDVINO debeo. Quid de Sifere dicemus, de quo PLINIVS (e): Sifer et ipsum Tiberius princeps nobilitavit, flagitans omnibus annis e Germania. Gelduba appellatur castellum Reno impositum, ubi generositas praecipua,*

(a) Allegato in loco v. 763.

(d) Tom. 13. Operum Galeni

(b) Libro VIII. Epigramm. 33.

pag. 100.

v. 20. et Libro XIV. Epigr. 26. et 27.

(e) Histor. Natural. Libro XIX.

(c) Histor. Natur. Lib. XXVIII.

Secl. 28. cap. 26.

Secl. 51. vel cap. 12.

pua, et solet etiam gula principis exemplum sequi et imitari. Quid de gemmis? Sane Onychem in Germania nasci, SVDINES (a) memoriae prodidit; METRODORVS SCEPSIVS (b), etiam Adamantes; sed vix est ut credamus, Sudeticas opes (c) ista tempestate fuisse quaesitas et inventas, exterisque venditas. Eo autem certius constat, inter pretiosas Germaniae merces omnino fuisse succinum, ut mihi videtur, ab Aestyis in litoribus suis collectum, inde permutationis jure ad alias gentes Germanicas delatum, atque tandem a mercatoribus ad Reni Danubiique ripas venundatum. Ipsos enim propolas Romanos hujus unice mercatus causa ignotum mare, quod hodie Balthicum appellamus, navibus tentasse, et in interiores ejus sinus et ad litora usque Aestyorum penetrasse, vetat credere locus TACITI insignis (d): *Ipsum quin etiam Oceanum illa (ultra Frisiorum litora) tentavimus, et superesse adhuc Herculis columnas fama vulgavit: sive adiit Hercules seu quidquid ubique magnificentum est, in claritatem ejus referre consuevimus. Nec defuit audentia Druso Germanico, sed OBSTITIT OCEANVS IN SE simul atque in Herculem INQVIRI. mox NEMO TENTAVIT.* Non facile dixeris, quod tanto imperatori ejusque classibus non licuit, singulis mercatorum navigiis forte quotannis licuisse; sed et tunc illarum

(a) PLINIVS Libro XXXVI. *Silesiographia Cap. III. §. 50. et Histor. Natur. Sect. 12. cap. 8.* BOHUSLAVM BALBINVM in *Miscellaneis Regni Bohemiae Decad. I.*

(b) Idem PLINIVS Libro XXXVII. *Sect. 75. cap. 4.* Libro I. cap. 30.

(c) Vide NICOL. HENELIVM in (d) *Germaniae cap. XXXIV.*



rum navium magistri certiora; quam quae fama ferebat, de columnis Herculis in fretis Danicis, isti celebri, quod Europam et Africam prope Gades disjungit, non abfimilibus, quaerendis referre poterant. Denique ipse TACITVS eo in loco, ubi de Succino sermonem facit (a), idem innuere videtur, dum ait: *ipsis in nullo usu rude legitur*: hi sunt Aestyi, mare scrutantes ac soli omnium succinum, quod ipsi glesum vocant, inter vada atque in ipso litore legentes: *informe perfertur*, non sane longissimo itinere, per immensum, utque sic dixerim aduersum Oceanum facto, sed ad ripas breviori facilioreque via neque ab Aesthis tantis terrarum intervallis a Reno Danubioque sejunctis, sed ab intermediarum gentium mercatoribus, probe gnaris, quantum huic maris ejectamento luxuria Quiritium dederit nomen; et hi denique erant, qui *pretium*, aureos argenteosque nummos, cupiditatem ementium *mirantes accipiebant*.

Sed revertamur a commerciis Germanorum ad singulorum pacta. Non dubito, negocia aliquando aliena esse suscepta, vel mandante domino, vel commoda ignorantis amici non negligente gestore: mutuo datas res fungibiles, commodatas non fungibiles; in fide tamen data plus fuisse securitatis quam in pignore; etiam deposita esse nonnunquam, quae servando servari poterant, quae si quis abnegasse fuisset ausus, inter flagitia tale facinus habitum esse neutiquam postremum existimarem. Frequentissimae autem fuerunt conventiones duae, ideo etiam
TACI-

(a) *Germaniae cap. XLV.*



TACITO memoratae, Permutatio, qua vitae societas continebatur, et Donatio, liberalis animi, benevolentiaeque non fucatae certissimum signum. De illa NOSTER (a): *Interiores simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur*, quod et inter proximos ripae saepenumero usurpatum fuisse credere par est. De hac IDEM (b): *Gaudent muneribus. Sed nec data imputant, nec acceptis obligantur*, ex vero et aequo, quo factum, ut Majores nostri justique tenaces ineptum hominum genus, non liberalium, sed id, quod vendere nollet alter, callida negotii inversione emere cupientium, merito sint averfati. Nullus itaque poenitentiae erat locus, nulla insinuationis necessitas, nulla de revocanda donatione, non imputata, non obligante cogitatio.

Tenemus, nisi me omnia fallunt, lites in tanta gente antiquissimis temporibus fuisse paucissimas. Sed *adhuc pauciora fuisse judicia* dixi, ob paratissimum dubiarum controversiarum, si mens non deficit aequa, remedium, boni viri arbitrium, cujus exempla, etsi nostris temporibus ob immensum litigandi pruritum sunt rariora, neque tamen nulla, eo tamen aevo, quod medium vocare solemus, longe frequentiora, ex quo colligere licet, in ista summa morum antiquissimorum simplicitate eadem fuisse longe frequentissima.

Supereft, ut observemus, inter judicia pagana et vicana fuisse haud leve discrimen, quod etiam TACITVS indicare non neglexit, sed suo more, ut parcissimus verbo-

(a) *Germaniae cap. V.*

(b) *Germaniae cap. XXI.*




borum, breviter et subobscurè. *Eliguntur*, inquit (a), *in iisdem conciliis et principes, qui jura per pagos vicisque reddunt.* Uti absònum esset dicere, judicem unius vici omni pago jus dixisse, ita quoque inconcinnum videtur existimare, universi pagi judicem omnes in singulis vicis obortas lites judicasse. Ita non per vicos, non per pagos, quos tamen in hoc de judiciis inferioribus loco sollicitè separat TACITVS, sed in quolibet pago ab uno eodemque principe, non pagi, qui, si omnes vicos eorumque lites demas, non habet, quod judicaret, sed ab omnium vicorum ad eundem pagum pertinentium, communi quidem, reapse tamen non nisi vicano, giudice jus foret redditum. Inter vicum autem et pagum multum intererat. Vicos locabant Majores nostri non in Romanorum morem connexis et cohaerentibus aedificiis, una tamen et continua singularum sedium serie, suis etiam finibus circumscripta, intra quos ii, qui vicum incolebant, quodam universitatis vinculo erant conjugati, et plura inter se habebant communia, inprimis principem judicem, in totius gentis comitiis electum, et una cum comitibus ex omni vico selectis jura reddentem, levissima delicta coercentem, causas mere civiles decidentem. Pagus habebat provinciae speciem, pluribus vel paucioribus, majoribus minoribusque vicis, pro civitatis vel parvitate vel amplitudine constans, qui vici pagi unius omnes rursus quadam communitatis compage inter se erant conjuncti, et judicem majorem, principem magnae dignitatis, in comitiis electum, habebant, qui cum comitibus

(a) *Germaniae cap. XII.*

tibus ex universo pago, forte ex singulis vicis, selectis, causas obortas judicabat. Omnes pagi junctim sumti gentem civitatemque efficiebant. Ita de Suevis Semnonibus TACITVS (a): *Adjicit auctoritatem fortuna Semnonum. centum pagis habitantur, magnoque corpore efficitur, ut se Suevorum caput credant.* Ab hoc judicio pagano controversias inter vicos integros obortas fuisse judicatas arbitror: forte etiam in litibus inter diversorum vicorum incolas subnatis ad superius tribunal statim fuit eundem, neglecta nempe juris Romani regula: actorem sequi forum rei, et inde incumbente Actori, ut reo convento et reconveniendi in alieno foro respondeat, necessitate hic cessante, ut prima majoris et utriusque parti communis judicis sententia ab omni favoris odiive suspicione foret eo remotior: sed et, si quis conjicere volet, a vicanis judiciis ad pagi judicem potuisse provocari, non admodum refragarer. Atque ita tandem omnem de Jure judiciario veterum Germanorum tractatum, ut mihi quidem in has ultimas gentis antiquitates in tanta veteris memoriae penuria penetrare fuit datum, liberrimo cuique vel addendi vel demendi fidem arbitrio relicto, absolvi. Quo facto ad id deveniendum est, quod optatam haec commentandi mihi praebuit occasionem, ad publicam duorum merentissimorum Candidatorum commendationem, qui, patriae celebritate, eruditionis partae copia, morum optimorum venustate simillimi, quam rectissime in nupero meo Decanatu uno fere eodemque tempore ad eundem Honorum Academicorum

(a) *Germaniae cap. XXXIX.*



corum gradum adspirarunt. Prior tamen oblati literis honestissimum suum desiderium Ordini nostro exposuit

VIR PRAENOBILISSIMVS
GEORGIUS ANCKELMANNVS

HAMBVRGENSIS

qui etiam Vitae suae laudatissimae Imaginem in hunc modum delineavit :

*N*atus sum HAMBVRGI die XXIV. Aug. 1738, Patre FRIDERICO ALBERTO ANCKELMAN I. U. D. Reipublicae Hamburgensis Senatore dignissimo, Matre autem ANNA CATHARINA, nata MENCKENIA. His optimis Parentibus ab incunabulis statim nihil magis curae cordique fuit, quam ut in iis artibus instruerer, quibus puerilis aetas ad majora praeparari solet. Hinc in principiis Christianae religionis literisque humanioribus me institui, curarunt. Quare non solum privatam informationem fidelissimorum Virorum nactus sum, sed etiam in Iobanneo Hamburgensi Clarissimi Reſtoris et Conreſtoris, utriusque MULLERI sicut et Subconreſtoris HAKII scholas frequentavi. Cumque bonarum litterarum studiis consecrare me vellem, mense Aprili 1757. Gymnasium, quod in Patria floret, salutavi; ubi, Praestantissimorum Doctissimorumque Virorum institutionibus eruditus, inter ceteros audivi B. RICHEY in historicis; REIMARVM in logicis et metaphysicis;



physicis; B. SCHELLHAFERVM in *Jure Naturali*; BÜSCHIVM in *mathematicis*; B. HELMERVM in *Jure Naturali*, *philosophia morali ac civili*, *institutionibusque Justinianeis*, et denique B. SCHAFFSHAUSENIVM in *stilo latino*, *cujus etiam collegio disputatorio haud sine fructu interfui*. Tandem ao. 1760. in celeberrimam hanc GEORGIAM AVGVSTAM me contuli, ibique a Viro Magnifico atque Illustri, GEORGIO LVDOVICO BOEHMERO, tunc temporis Prorectore, die 5 Aprilis numero studiosorum adscriptus, Viros in omni scientiarum genere Excellentissimos Celeberrimosque reperi, quos mihi Praeceptores obtigisse, sane per totum vitae tempus habeo, quod gaudeam. Doctores enim habui GEBAVERVM in *Institutionibus*, *Jure Naturali*, *Tactique Germaniam enodantem*; AYRERVM in *Jure Publico Jurisprudentiaque Civili*; BOEHMERVM in *Jure Feudali ac Canonico*; RICCIVM in *Jure Germanico*; PÜTTERVM in *Historia Imperii*, *Jure Publico*, *Processu Imperii Praxique Forensi*; MEISTERVM in *Institutionibus*, *Digestis*, *Examinatorio ad Digesta*, et *Jure Criminali*; CLAPROTHIVM in *Actionibus Forensibus et Praxi Forensi*; de SELCHOW in *Antiquitatibus Romanis*, et ACHENWALLIVM in *Historia Statuum Europaeorum*. Praeterea B. MEIERVM *Mathesin Applicatam*; KAESTNERVM *Physicam*; et Magnificum b. t. Prorectorem, Experientissimum VOGELIVM, *Medicinam Legalem explicantem* audivi. *Quibus studiis academicis absolutis ab Inclyto Jureconsultorum Ordine Licentiam*





centiam summos in utroque Jure honores capeffendi observanter petii, quam etiam, quod nunquam non grata mente venerabor, unanimes consensu mihi decernere haud dedignati sunt.

Ita omnino res se habet; condicta die cum Juris utriusque textus non absque insigni doctrinae legalis apparatu interpretantem, tum ad quaestiones in medium prolatas promte solideque respondentem cum voluptate audivimus, et ad reliqua publice exhibenda unanimes suffragio admisimus. His etiam doctissimus Candidatus labentis anni tertia mensis Martii die cum laude et applausu est defunctus, lectione cursoria §. *Sed eas 3. Inst. de Bonorum Possessionibus* publice explicuit, et Dissertationem Inauguralem *de Successione ab intestato liberorum naturalium et spuriorum in bona matris ejusque collateralium Juri Statutario Hamburgensi non adversante* sine Praeside strenue defendit, quibus omnibus rite peractis merentissimo ANCKELMANNO summos in utroque Jure Honores capeffendi Licentiam ritu consueto lubens laetusve contuli.

Non multo post, quam Vir nunc Consultissimus honorum petendorum causa nostrum Ordinem adierat, similes nobis obtulit preces

VIR PRAENOBILISSIMVS
VINCENTIVS RVMPFFIVS

HAMBVRGENSIS,

quem amico suo et populari in optima quoque studiorum
ratione



ratione esse simillimum, docebit sequens Vitae ab eo summa cum laude transactae descriptio:

*N*atus Hamburgi d. 18. Febr. anni 1737. Patre gaudeo VINCEN-
TIO RVMPFF I. U. D. et Reipublicae Patriae Senatore, matre ANNA
MARGARETHA, MICHAELIS WILCKENS, Amplissimi quondam
Senatoris, filia. Qui carissimi Parentes, quos si a natura mihi non ob-
tigissent, et res ista mei fuisset arbitrii, meliores amantioreque seli-
gere non potuissent, adolescentiam domesticis institutionibus optimorum
virorum sub suis oculis formandam tradidere. Anno 1752. in Johan-
neum Patrium receptus, institutione et utilissima et fidelissima Reſtoris
MULLERI, usus sum. Interfui quoque scholis Correctorum RICHER-
ZII, et postquam hic Theologica studia cum Medicis commutarat, alte-
rius MULLERI in ejus locum surrogati. Peracto ibi triennio erudiri
coepi, indefesso Gymnasii nostri florentissimi Professorum studio atque
doctrina, B. RICHEII in Historia, REIMARI in Philosophia Theore-
tica, stiloque Latino formando, B. SCHELHAFFERI atque B. HEL-
MERI in Jure Naturae, B. SCHAFSHAUSENII in arte disputandi,
quo moderatore et privatim et publice exercitatus sum, SVCCOVII
atque BVSCHII in Mathesi, TRECKELII nuperrime defuncti, priva-
ta opera in Romanis Antiquitatibus atque primis legitimae Scientiae
fundamentis. Anno 1759. Georgiam hanc Augustam petens et a Magni-
fico tunc temporis Prorectore RIBOVIO Albo Studiosorum inscriptus,





non sine summa animi voluptate maximoque cum fructu atque utilitate
 audiui Viros Perillustres ac Excellentissimos GEBAVERVM Historiam
 universalem, Institutiones, Digesta, veteris Germaniae notitiam, BOEH-
 MERVM, Jus Canonicum et Feudale, PÜTTERVM Historiam S. R. I.
 Rem ejus Judiciariam, Jus Publicum et Praxin Juridicam explicantes,
 MEISTERVM Institutiones, Digesta, Jus Criminale exponentem et
 privatissime e Jure universo examinantem, RICCIVM Jus Germani-
 cum, ACHENWALLIVM historiam recentiorem, atque Rerumpublica-
 rum Notitiam, CLAPROTHIVM Praxin Juridicam, BECMANNVM
 Jus Naturae, BÜTTNERVM historiam naturalem, B. MEYERVM
 Geometriam Practicam, MVLLERVM Architecturam Civilem docentes.
 Anno 1760. fere elapso ad aliquod tempus Goettingam relinquens, peri-
 culosissima navigatione Trajectum ad Rhenum delatus, auditor fui Prae-
 fectionum Juridicarum HOUCKII, Physicarum HAHNII, Algebraica-
 rum CASTIGLIONII. Honorificam deinde atque jucundissimam nactus
 occasionem, Angliam petii cum Legatis Hamburgensibus, altero Viro
 Magnifico AMSINCK Reipublicae Nostrae Syndico longe meritis-
 simo, altero Amplissimo RICKIO Senatore dignissimo. Quorum ego Fautorum
 in me benevolentiam incredibilem cum verbis non satis digne extollere
 possim, obstrictissima dum vivam mente recolam. Omni illo, quo in An-
 glia commorabamur, tempore, ab eorum latere nunquam discedens,
 atque ad intimiorem, uti vere gloriari possum, consuetudinem admissus,
 sano



cantorum virorum, in omni re versatissimorum e sermonibus humanissimis, maximos jucundissimosque cepi fructus. Laetabundus vidi, quanta gratia, quanta clementia a Regum Potentissimo sint recepti, quanto amore a Populi invictissimi Proceribus, quanto honore sint affecti. Contigit mihi iis ducibus MAGNIFICENTISSIMI hujus Academiae RECTORIS, Magnae Britanniae REGIS MAIESTATEM summae humanitatis plenam cominus saepiusque devotissimo animo venerari atque adorare. Contigit rara atque ultra saeculi spatium inaudita apud Britannos felicitate, ut Regi in Anglia natum Principem Hereditarium, aliquot post nativitatem horis elapsis videre, votis prosequi, meque laetantium atque gratulantium numero immiscere possem. Aegre tandem relinquens Angliam, aegrius postea ab illis, quibus itineris comes fueram, divulsus, rediit Ultrajectum, ibique per hiemem commoratus, ante annum fere, eruditione, amore ac admiratione veteri Praeceptorum captus, altera vice Goettingam adii, nec multo post ab illustri Jurisconsultorum ordine Licentiam summam in Jure utroque honores capeffendi rite ac observanter petii, et eo annuente ad consueta examina benevole admissus sum.

Non admisimus tantum, ut par erat honestissimis precibus gerere morem, Praenobilissimum Candidatum ad consueta examina, verum etiam in iis talem experti sumus, qualem fore omnino confidebamus. Scilicet utriusque Juris Caput adhibita eruditionis legitimae copia explanavit, et ad quaestiones propositas tam promte doctaque respondit, ut, iis prius praestitis, quae publice agenda



da sunt, voti sui fore compotem, unanimi suffragio decerneremus. Praestiturus autem acturusque est ista omnia doctissimus Candidatus die hujus mensis XIV. Lectione cursoria *Legem final. D. de Jurisdictione* interpretabitur, mox Dissertationem Inauguralem *de Rei Vindicatione e Jure Romano et Hamburgensi* adversus Opponentium dubia sine Praeside defender, quibus rite confectis Licentiam summos in Utroque Jure Honores capeffendi Eidem merentissimo lubens laetusque conferam. Ut autem istos publicos actus PRORECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, cum SENATV, ILLUSTRISSIMI COMITES, ILLUSTRIS, GENEROSISSIMI atque NOBILISSIMI CIVES, HOSPITES, COMMILITONES honorifica sua praesentia cohonestare velint, est, quod ea, qua decet, observantia atque affectu rogo. P. P. Gotingae XII. Mensis Iulii die **CLXIV.**





ULB Halle
004 327 837


3



↓
56







PRODECANVS 1764, 15 18
ORDINIS IVRIDICI
GEORGIVS CHRISTIANVS
GEBÄVER D.

SVMPOS IN VTROQVE IVRE HONORES
CAPESSENDI LICENTIAM

NOBILISSIMO CANDIDATORVM PARI
GEORGIO ANCKELMANNO

ET

VINCENTIO RUMPFIO

HAMBVRGENSIBVS

ET COLLATAM ESSE ET COLLATVM IRI
PVBLICE INDICAT

SIMVL

DE FLAGITIIS AP. VET. GERMAN. NONNVLLA
ET QVAE DE IVDICIIIS VICANIS ET PAGANIS
DICENDA RESTABANT
IN MEDIVM PROFERT.

GOTTINGAE
TYPIS POCKWITZ - BARMEIERIANIS
MDCCCLXIV.